



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Sexagesimæ, Euangelium Luc. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

DOMINICA

fide propter mediatorem.

Has causas bene operandi semper intueamur, & nos ad timorem Dei exuscitemus. in hoc cursu melius discemus res illas maximas intelligere, quam in ociosis rixis, & tunc rei magnitudo aliquo modo conspicitur. Iudicari de uocabulis facile potest, & qui uidet aliquo modo magnitudinem infirmitatis humanae, & immunditiae, facile intelligit praeconia meriti inania esse: Et rursus, qui intelligit placere Deo obedientiam propter filium, intelliget compensari nostra benefacta inmensis praemijs et amplioribus, quam meriti ratio, etiam si qua esset, posceret.

DOMINICA SEXAGESIMAE, Euangelium Luc. 8.

CUM AUTEM TURBA PLURIMA conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semē suum. Et dum seminat, aliud quidem cecidit secus uiam, & conculcatum est, & uolucres caeli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum exaruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortae spinæ, suffoca

suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

Interrogabant autem eum discipuli eius dicentes, quæ esset hæc parabola. Ille autem dixit: Vobis datum est, nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant.

Est autem hæc parabola: Semen est uerbum Dei: Qui autem secus uiam, hi sunt, qui audiunt, deinde uenit Diabolus & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Qui autem supra petram, hi sunt, qui cum audierint, cū gaudio suscipiunt uerbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, sed in tempore tentationis recedunt. Quod autem inter spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonâ terram, hi sunt, qui corde sincero & bo-

H s no

DOMINICA

no audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

Nemo autem lucernam accendens operit eam uase, aut subter lectum ponit, sed super candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Non est enim occultum, quod non manifestetur, neque absconditum, quod non cognoscatur, & in apertum ueniat. Videte ergo, quomodo audiatis: Qui enim habet, dabitur illi, & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

*Quod sump
aliqua sit
ecclesia.* **S**UMMA Euangelij & principalis propositio est consolatio de ecclesia, quod certo sit aliqua ecclesia, ubicumque docetur euangelium. Est & consolatio aduersus scandalum paucitatis credentium.

*Euange-
lium no
est sine
fructu* Est ergo primus locus. Euangelium nunquam prorsus est sine fructu, sed semper in aliquibus est efficax, ut testatur Esaias 55. Non reuertetur uerbum ad me uacuum, sed faciet quaecumque uolui.

SECUNDVS, Semper in eo coetu, ubi est uera doctrina, necesse est aliqua esse uera membra ecclesiae, quia uerbum dei, non est sine fructu, & necesse est.

est aliquam esse ecclesiam. Hæc non est defendentium
impia opinio, ergo necesse est eam in altero coe-
tu esse.

TERTIO cum ecclesia sit exigua, sicut in- *Ecclesia*
quit Esaias: Nisi Deus reliquisset nobis semē, essemus *exiguus*
sicut Sodoma: animi multorum dubitant, an sit ali- *coetus*
qua ecclesia Dei, an Deus adhuc exaudiat, præstet
promissa. Aduersus id scandalum confirmat nos hæc
parabola, præcipit ut credamus esse ecclesiam, & ue-
re Deum exaudire, & præstare promissa ecclesiæ. Et
testatur illos esse bonam terram, qui non deficiunt
ab Euangelio.

QUARTVS Modos recenset deficientium,
Vbi diligenter obseruandum est, quod non tantum
enumerat uulgaria peccata humane infirmitatis,
ut incōcessos quæstus, & illicitas uoluptates, & me-
tam persecutionis, sed addit alias obscuras tenta-
tiones, uidelicet, cum Diabolus excutit animis re-
ctam sententiam, & instillat Epicureas opiniones,
uel alias. Aduersus has insidias oportet pios esse uigi-
lantes.

QVINTVS, Dulcissima consolatio propo-
sita in dicto: Habenti dabitur. quod uidelicet infir- *Deus in*
mos Deus recipiat, quod uelit eos prouehere, quod *firmos*
initia non contemnat. Sicut alibi dicitur: Linum fu- *no rruicit*
migans non extinguet. Item Paulus de infirmis:

Deus

DOMINICA

Deus eos recepit. Sunt autem habentes, qui habent in-
 tia poenitentiae, & hos ipsos hic uocat bonam ter-
 ram, scilicet non deficientes à uerbo Dei, quia supra
 enumerat deficientes.

SEXTVS, Traditur & doctrina, qua præci-
 pit ut studeamus proficere, ut simus habentes, ut re-
 tineamus uerbum, quod sine cura, & sine dimicatio-
 ne fieri non potest.

SEPTIMVS, Gradus sunt piorum, alij fru-
 ctum faciunt centuplum & c. quod generaliter intel-
 ligendum est, de donis singulorum, & de ministerijs,
 ut Ioseph copiosorem fructum tulit, quam reliqui
 fratres, hoc est, & donis excelluit, & plures conuer-
 tit. Estq; præcipuus fructus confiteri & docere, sic
 ut Christus inquit: Sic Pater cœlestis glorificabitur,
 si eritis mei discipuli, & copiosum fructum feretis, id
 est, propagabitis & conseruabitis Euangelium.

OCTAVVS, Comminationes multæ hic pro-
 posita sunt, aduersus cōtemptores uerbi Dei, & per-
 secutores. Mirum est enim, qui fiat, ut tanta pertina-
 cia agnitam ueritatem oppugnent. Hic autem admo-
 nemur, ne illorum pertinacia uel iudicijs frangamur,
 quia prædictum est, tales aliquos fore hostes ueræ ec-
 clesie, qui uidentes, tamen sint cœci futuri. Quare fu-
 gendi sunt pertinaces illi hostes euangelij, & contra
 erigendæ mentes, ut retineamus uerbum Dei, simus
 bone

Præcipuus
 fructus
 45 sit.

Cominatio
 pro
 posita
 aduersus
 cōtemp-
 tores
 uerbi
 Dei.

bona terra, feramus aliquem fructum, unusquisq; in
sua uocatione.

EADEM DOMIN. SEXAGE-
simæ, in Euangelium
Matth. cap. 13.

PRIMVS LOCVS, Imago Ecclesiæ,
quæ admonet & confirmat pios, &
obiurgat ignauos.

II De incrementis piorum, & excæca-
tione contemnentium & perse-
quentium.

III Quomodo patres nouerint regnū
Christi.

IIII De multiplici fructu.

DE PRIMO.

MVLTA offendunt infirmos animos, pau-
citas eorum. quotidianæ desertiones, & per-
fidie. Aduersus hæc scandala teneamus con-
solationem, in hac imagine propositam, quæ admo-
net futuram talem confusionem, & dissimilitudi-
nem in ecclesia, & erigamus nos, ne propter aliorum
lapsus, & ipsi deficiamus.

EE

DOMINICA

Et cause confusionis & desertionis hic recitanda-
tur. Prima est obscurior cæteris, sed communior &
potentior, uidelicet cum præstigijs Diaboli capiun-
tur animi, & excutitur uerbum Dei, sicut Eua pri-
mum seducta est. Ita plurimi sapientes fiunt Epicu-
rei, aut Academici aut Hæretici, quibus Diabolus of-
fert aliquam falsam persuasionem, ac deinde implica-
tos & irretitos tenet & urget, sicut uidemus quo-
modo paulatim Euam euertit. Has insidias sæpe Pau-
lus describit, & uocat tela ignita. Habet autem hæc
ætas plurima & uaria exempla: partim propter
ingeniorum petulantiam, quæ crescit, partim, quia
Diabolus postremo tempore sentiens breui affutu-
rum esse iudicem, rabiosius grassatur. Ideo iam plu-
res sunt & Deo, & monstrosiores sectæ oriuntur, ut
deliria Anabaptistarum multiplicia.

Cogitemus igitur uigilandum esse, ac repugnan-
dum insidijs Diaboli, qui miras querit occasiones
quibus pertrahat animos in errores, & ad defectio-
nem & cætera. Ac dicto Petri excitemur: *Vigilate,*
quia aduersarius uester tanquam Leo rugiens cir-
cumit.

Reliquæ cause desertionis minus sunt obscuræ,
ut metus suppliciorum, immoderate sollicitudines re-
tinendarum opum, imperij, dignitatis.

DE SECVNDO.

Valde

VALDE utilis doctrina hinc traditur, de incrementis piorum. Luc. 8. Videte quomodo audiatis: Habenti enim dabitur, & a non habente, quod uidetur habere auferetur. Discamus igitur exercenda esse dona spiritualia, quia in his exercitijs crescunt, sicut alibi Paulus inquit: Qui fideliter seruiunt, confirmantur in fide. Et Augustinus: Dilectio meretur incrementum dilectionis. Ideo Christus inquit: Si possunt homines bona dare, quanto magis Pater uester qui in caelis est, dabit spiritum sanctum petentibus, quod significat non ociosis, non securis, non contemnentibus, sed audientibus uerbum Dei, cupientibus obedire, & petentibus auxilium.

Extant promissiones, extant mandata, quae iubent petere, ergo uult dare, & cumulare dona, sicut & precatio ipsa testatur, quam Christus tradidit. **SANCTIFICATUR** nomen tuum, id est, da ut uerè agnoscamus Deum, uerè inuocemus, tolle idololatriam, & omnes impias opiniones. **ADVENIAT** regnum tuum, id est, rege tu nos spiritu sancto, non concedas regnum Diabolo. **FIAT** uoluntas tua, sicut in caelo obtemperant Angeli, & suum quisq; facit officium, ita fac ut in terra obtemperent tibi omnes doctores, principes, gubernatores, privati, suo quisq; loco. tolle omnia scandala gubernatorum & aliorum, quae offendunt tuam uoluntatem. **DA** panem quotidianum

DOMINICA

dianum, id est, omnia corporis commoda, pacem, an-
nonam, bonum regimen. RE mitte debita, ne sinas
nos succumbere Diabolo in tentationibus. LIBera
nos ab omnibus malis, & traduc in uitam eternam.
Hic uidemus præcipere Christum, ut omnis generis
bona, spiritualia & corporalia petamus, & hæc cu-
mulare uult pctentibus, & exercentibus. Additur au-
tem & hic comminatio contra negligentes. Ut ui-
dentes non uideant. Item, à non habente, quod uide-
tur habere, auferetur, id est, contemptores punien-
tur cæcitate, & multiplici amentia.

DE TERTIO.

Vestri autem beati oculi &c.

CHRIſTUS inquit de Abraham: Abraham
uidit diem meum, & letatus est, ita omnes san-
cti ab initio mundi saluati sunt fide uenturi
liberatoris, quem norant promissum esse. & alij ha-
buerunt lucem clariorem alijs. Quod autem hic di-
cuntur non uidisse, intelligatur tantum de conuer-
satione corporali. Hanc inchoationem regni patres
mirati sunt, & certè coram cupiebant audire prædi-
cantem, cupiebant uidere suum dominum, cupiebant
crescere agnitione sui domini.

DE QVARTO.

DIVERSI fructus significant, alios excelle-
re alijs donis, Item in singulis uocationibus
alios

*alios plus laborare alijs. ut Paulus pluribus prædica-
cavit, quam aliquis alius.*

DOMINICA QVINQVAGE-
simæ Euangelium,
Luc. XVIII.

ASSUMPSIT autem Iesus duo-
decim, & ait ad illos: Ecce ascendi-
mus Ierosolymam, & consummabun-
tur omnia, quæ scripta sunt per Pro-
phetas de filio hominis, Tradetur em̄
gentibus, & illudetur, & contumelijs
afficietur, & conspuetur. Et postquam
flagellauerint, occident eum, & die ter-
tia resurget. Et ipsi nihil horum intel-
lexerunt, & erat uerbum istud abscon-
ditum ab eis, et non cognoscebant, quæ
dicebantur.

Factum est autem, cum appropin-
quaret Iericho, cæcus quidam sedebat
secus uiam medicans. Cum autem au-
dieret turbam prætereuntem, sciscitaba-
tur quid hoc esset. Annunciauerunt
autem ei, quod Iesus Nazarenus tran-
siret. Et clamauit dicēs, Iesu fili Dauid
miserere mei. Et qui præibant, increpā-
bant

I

bant